


pulóque Rom. per benignè susceptus est, & Corona Cæsarea donatus. Italiam verò relinquens, Basileam vbi concilium erat, peruenit. Eugenium Pontificem concilium Basiliensè à se prius confirmatum, reuocantem, Ferrariámq; traducere conantem, tanquàm contumacem summo sacerdotio deiecit. Relicto autem Concilio Bohemiam ingressus est, omniáque dissidia componere instituit. Sed præuentus morbo, & senectute, diem clausit vltimú, cùm attigisset annum LXX. anno Imperii XXVII. anno Christi MCCCCXXXVII. Corpus eius in Albam translatum Regalem Hungariæ ibidem sepultum est.

MARIA Ludouici Regis Hungariæ & Poloniae filia, vxor Sigismundi prima, ex qua nullam quidem prolem, sed regnum consecutus est.

BARBARA Hermanni Comitis Ciliæ filia, altera Sigismundi vxor, ex qua vnicam filiam Elizabeth genuit. Fœmina illa fuit immensa libidinis, & procacitatis inuerecundæ, quæ sæpius viros peteret, quàm peteretur. Vitam omnem censuit inanem, quæ non coitu, luxu ac libidine contereretur. Nihil omisit procacissima mulier, quo voluptatem explere intelligebat. Animam cum corpore interituram iudicabat, paruifaciens religionem Christianam. Cùm ergo in luxu dies penè ac noctes transegisset, peste infecta, in Græcia mortua est, ac Pragam delata, regio funere in monumento regum sepulta est.



ALBERTVS eius nominis v. & II. Rom. Rex, Alberti IIII. & Ioannæ filius, annum agens XII. patrem amisit. Agens deinde sub tutoribus patruis inter se digladiantibus, grauia quæque perpeffus est. Pubertatem verò egressus, tutelam abiecit, Austriámq;